

D. D.

# INCREMENTA BOTANICES

PROXIME PRÆTERLAPSI SEMISECULI,

QVÆ,

CUM CONSENSU EXPERIENT. FACULT.  
MED. UPSAL.

*SUB PRÆSIDIO*

VIRI NOBILISSIMI ATQVE EXPERIENTISSIMI  
*DOMINI DOCTORIS*

# *CAROLI LINNÆI,*

S. R. MAJ. TIS ARCHIATRI, MED. ET BOTAN.  
PROF. REG. ET ORD. ACAD. IMP. N. C. MONSPEL.  
STOCKH. BEROL. TOL. ET UPSAL. SOCII,

NEC NON

EQUITIS AURATI DE STELLA POLARI,  
BREVITER SPECIM. ACAD. ADUMBRATA,  
PUBLICÆ CENSURÆ SUBMITTIT

## *JACOBUS BIUUR,* WESTMANNUS,

IN AUDITORIO CAROL. MAJORI,

DIE II. JUNII ANNO MDCCCLI.

HORIS ANTE MERID. CONSUETIS.

---

*HOLMIÆ,*

TYPIS LAURENT. LUDOV. GREFING.

6051  
Kongl. Maj:ts  
Högtbetrodde Man,  
Præsident  
Uti Dels och Riksens Högläft. Cammar Collegio,  
samt  
Riddare och Commendeur  
af Kongl. Maj:ts Orden.  
*Högvålborne Grefve*  
**HERR CARL FREDRIC  
PIP E R,**  
Nådige Herre.

Tillåten, NÅDIGE HERRAR, at jag nyttjar  
vördnad och rena nit, hvar til jag så mål af  
ymniga Nådåfwen upmuntras. Ansen då, med vanlig  
förstlingen af mine Academiske öfningar, och åfwen,  
långt och vidt lysande Namn, åt then samma låna  
bafve då icke så mycket affeende på et ringa offer  
desf under dän ödmjuka välmening, som det samma dri  
utbeder jag mig den Nåden at ytterligare få vara  
beständig Hög välgång!

EDRE

Underdän ödmju  
JACOB

Kongl. Maj:ts  
Högtbetrodde Man,  
General af Cavalleriet,  
Öfwerste för Dess Lif Regemente til Håft,  
samt  
Riddare och Commendeur  
af Kongl. Maj:ts Orden,  
Högvålbörne Friherre,  
**HERR MATTIAS  
ALEXANDER von UNGERN  
STERNBERG,**  
Nådige Herre.

närvarande tilfälle, at för EDER yttra den diupa  
inwertes drift föres, som af EDER mig bewisade  
bög Nåd, det jag för EDRA ögon vågar framvisa  
at af EDRA, genom högt Vett och stora Förtjänster,  
gläns och prydnad. EDRE HÖGE NÅDER  
och thes egen beskaffenhet, som icke fast mera på  
star at frambåra. Uti EDER Nådiga Åtancka,  
innefluten. Frambårdande under innerlig önskan för  
NÅDERS

Käße Tjänare  
BIUUR.

Kyrkoberden vid Folkärna Församling,  
Wålårewördige och Höglärde Herren,  
**HERR M. JOHAN WULFF.**

Råd- och Handelsmannen i Westerås Stad,  
Ådel och Högacktad

**HERR CARL WULFF.**

*Mine Gunstige Herrar Morbröder.*

Då I, Mine Gunstige Herrar Morbröder, alt ifrån mina yngste  
år, men i lynnerbet, sedan et svårt öde, alt för tidigt bådan-  
ryckte min Kåra Fader, visat mig så oråknliga teckn af Godbet,  
skulle jag tycka mig för mycket fela i min skyldighet, om jag icke  
fökte, vid alla tilfället, visa min vördnad tilbaka. Jag beklagar  
mig vara med de fläste Godbets åtniutare deruti lik, at, ju ymniga-  
re välgerningar finnas, des mera otirlæckelig se de sin förmågo til  
erkänsta vara. Tillåten mig fördenskul, Gunstige Herrar Morbrö-  
der, at nyttia EDER vanliga Gunst til ersättning af min brist; och  
uptagen dessa ringa blad, såsom et vädermåle allenaft, af min uprik-  
tiga Kärlek; hvaruti jag, under trogen önskan, för orubbad lång  
fältet, beständigt framhärdar at vara

*Mine Gunstige Herrar Morbröders*

Ödmjukafte Tienare  
Jacob Biuur.



## D. D.

### §. I.



quamvis solidior omnium eorum cognitio, quæ in globo terraqueo ubique locorum & gentium, obvia sunt, plus quam necessaria semper fuerit, propter usus tam medicos, quam teconomicos, quibus non care-re potuerint homines; eam tamen in formam scientiæ & disciplinæ, nimis sero redactam fuisse novimus, ob varia sua fata, eaque non raro iniquissima. Etenim tria illa naturæ regna, quæ hæc omnia suo complectuntur sinu, eodem non semper exulta fuere studio. Scientia Botanica amplissimum sub se comprehendens regnum, novis semper adaucta est inventis, plurimos habuit cultores, evasitque tandem copiosissima.

A

Litholo-gia,

**2** **( 2 )**  
gia, ope Chemicæ illustrata, nostra in primis ætate,  
in lucem prodire cœpit. *Zoologia*, ex hisce tribus,  
huc usque maxime fuit neglecta. Hæc tria jun-  
ctim, quod ad progressus eorum omnes, ita perse-  
qui, ut ferret eorum & historica cognitio, & ma-  
ximus usus, curta mea supellex non patitur; scien-  
tiam igitur Botanicam, eamque solam, ut meo  
qualicunque proposito proximam, paucis tangam,  
idque ita, ut, quasi per transennam eundo, no-  
tatu digniora sistam: historiam enim conscribere,  
omnibus suis numeris perfectam, eos transgrede-  
retur limites, quos disquisitiones Academicæ fibi  
prefixos habent. Itaque sufficiet etiam mihi,  
si nobilissimæ hujus scientiæ præcipua *incremen-  
ta* tradam, postquam primarias ejus Epochas pau-  
cissimis tantum tecigi. Proposito vero huic meo,  
plus quam innoxio, ut Tuus adsit favor, L. C.  
est id ipsum, de quo per officiose Te rogatum  
velim.

§. 2.

Fata Botanices, si nostrum esset in præsenti ac-  
curate penitusare, ad quatuor etiam EPOCHAS ea  
commode revocari posse diceremus; quarum  
1. EPOCHA PATRUM Botanices, ea tantum conti-  
neret, quæ a temporibus Aristotelis usque ad refor-  
mationem memoratu digna censerentur. 2. EPO-  
CHA FUNDATORUM, ea, quæ a reformationis tem-  
poribus, ad tempora Casp. Bauhini circa annum  
1620. traderet. 3. EPOCHA SYSTEMATICORUM a  
Casp. Bauhino ad ævum Nob. D. PRÆSIDIS.  
4. EPO-

4. EPOCHA REFORMATIONIS ab anno hujus seculi XXXV.

### \* EPOCHA PATRUM.

Inter Auctores, qui in PRIMA EPOCHA, Botanices studio navarunt operam, præcipue inclauerunt *Theophrastus*, *Dioscorides*, & *Plinius*; Quorum temporibus scientia hæc nostra adhuc in cuius quali suis vagiit; rerum enim naturalium periti, neque objecta sua describere, neque eadem depingere didicerunt; multo minus Characteres quosdam speciales aut leges, secundum quas, in aliorum usum, speciebus nomina affingere possent, sibi habebant familiares.

### \*EPOCHA FUNDATORUM.

In SECUNDA EPOCHA, regno Orientali sub Imperium Turcarum redacto, scientia hæc nostra, quæ sub tenebris seculis, miserabili fato fuit obnoxia, quod cum reliquis omnibus artium liberalium studiis ei commune fuit, e suo etiam deliquio reviviscere cœpit. Theodorus enim GAZA, Hermolaus BARBARUS, opera tantum *Dioscoridis*, *Aristotelis*, & *Theophrasti* in aliam linguam transferentes, hujus scientiæ pristini temporis ferruginem se quidem exesuros putabant: quod tamen minus ex voto successit, quum eandem, ab ovo, ut dicitur, repetendam esse futura secula, plus quam necessarium duxerint, si quid in ea unquam præstari posset. Australis igitur Europæ eruditii cer-

tatim plantas colligere atque describere, nec non  
figuras earundem ligno incidere cœperunt. In  
quorum numero fuerunt BRUNFELSIUS, TRAGUS,  
CORDUS, MATTHIOLUS aliisque. Heic vero præ-  
cipue memoria digni sunt, GESNERUS, qui studio  
folertiaque, in perlustrandis naturæ vestigiis, o-  
mnes fere superavit, RONDELETIUS, qui quidem  
rei Botanicæ nihil in sui memoriam nobis reliquit;  
nihil tamen minus a coætaneis in magno habitus  
est honore ob vastam eruditioñem in re medica &  
naturali; discipulos habuit Rauwolfium, Lobelianum,  
Clusium, Joh. Baubinum, Gbinum. GHINI, Pisæ Pro-  
fessor, et si nihil ediderit, præstantium tamen Vi-  
rorum, Cæsalpini, Anguilare, Maranthe, Matthioli &  
aliorum vel præceptor fuit, vel amicus (Tournet.  
Isag. 32.) CÆSALPINUS interiores scrutandi na-  
turæ recessus perspicacissimis gaudebat oculis, adeo  
ut eum nemo æmulari potuerit. Eodem fere tem-  
pore DODONÆUS, LOBELIUS, DALECHAMPIUS, TA-  
BERNÆMONTANUS notissimarum Europæ planta-  
rum figuras confecerunt, quæ & hodie omnium  
manibus volvuntur. CLUSIUS inter hos eminent,  
qui late institutis itineribus, diligentia infinita, plan-  
tas investigavit, nec minori fide easdem propo-  
suit. COLUMNA, omnium Botanicorum priimus, &  
figuras propria manu accurate depingere, & simul  
easdem æri incidere noverat, tantamque in plantis  
accurate describendis adhibuit curam, quantum  
unquam Clusius, ad easdem indagandas & dilu-  
cide proponendas. Præstantissimi illi fratres JOH.  
& CASP. BAUHINI huius scientiæ summam auctori-  
tatem

tatem conciliarunt, dum ille in *Historia sua Universali*, facile omnia a reformatione literarum detecta, in unum contraxit opus, & hic in *Pinnace suo*, omnia Botanicorum nomina, in species suas redigendo, Babyloniam quasi confusionem removebat. Sic nobilissimæ hujus artis periti, apicem etiam ejus sese attigisse crediderunt, unde & eam ob causam, viribus quasi exhausti, per aliquod tempus obmutuere Botanici.

## \* EPOCHA SYSTEMATICORUM.

Sub initio TERTIÆ EPOCHÆ lente admodum procedebatur; SUERTIUS enim 1612. BRY 1612. BESLERUS 1612. & PANCHOVIUS solis figuris erant contenti. ALPINUS filius, plantas rariores, in primis Cretenses, a patre descriptas, in lucem tantum produxit. RENEALME paucas plantas descripsit, earumque figuras speciminis instar, depinxit. CORNUTUS novas quasdam species ex America septentrionali depromisit. Maregrave amore Botanices per mare in Brasiliam trajiciens, novas regiones Floræ acquisivit. BARRELIER & Bocco, duo monachi, sub itineribus suis in Europa Australi plurimas plantas pulcherrimas legebant. RAJUS quoque, Theologus, in Studium Botanicum apud Anglos acriter jam ferri incipiebat. Ipsa vero scientia, plene adhuc non floruit, antequam MORISONUS, Scotus, in Angliam redux, artem in formam disciplinæ redigere incipiebat, quo facto Anglorum plurimi in Amplexus Floræ turmatim

ruebant, quorum infinito studio numerus plantarum brevi duplo auctior evasit. Eo enim tempore inter ANGLOS in primis MORISONUS, PLUKE NETIUS, SLOANE, RAJUS, BOBARTUS, SHERARD, PETIVER, MERRET, LUYDIUS, DOODY, VERNON, RICHARDSON, BUDDLEY, DU Bois, unitis quasi viribus rem aggressi sunt, eorumque diligentiam ultraque experta est India, SLOANE Jamaicam, BX NISTER, Jones & Krig Virginiam adiere; *Camellus* & *Cunningham* rariores ex India orientali, aliisque locis, transmiserunt plantas. Hoc quoque tempore, plantarum amore finitimum BELGIUM est incensum: etenim non solum eruditii, ut SYEN MUNTING &c. sed etiam Optimates, ut *Beverning*, *Fagel*, *Benting*, *Beaumont*, *Commelin*, herbis se se oblectantes, hortos rarissimis plantis refertos instruxerunt. Jam quoque BREYNIUS, Dantisco in Belgium saepissime profectus, cum Hollandis cereabat, de rarioribus plantis delegendis & illustrandis. Huc item HERMANNUS e Germania venibat, ut civitate Botanica donaretur, qui quoque ad nova occupanda regna Indiae delegatus, floram *Capensem* & *Zeylanicam* sub imperium Florae rediget; RHEEDE totum *Molabariæ* regnum, nec multo post RUMPFIUSS Amboinam; adeo ut anceps haeream, utrum Hollandorum industria, vel Anglicorum sit preferenda. Hinc vero numerus rariorum plantarum infinitus fere evasit. Interea temporis DODART in *Gallia*, TRIUMPHETTI & CUPANI in *Italia*, LCESELIUS & MENTZELIUS in *Germania*, herbas nonnullas, minus communes, in lucem protulerunt. RIVINUS demum.

figu-

figuris nitidissimis, & nova methodo, magis tamen facilis, quam elaborata, inclaruit. Circa finem seculi, mediante FAGONO, Praefecto horti Botanici, magnique Regis Ludovici XIV. Archiatro, qui apud Regem pro hac scientia multum intercessit, in Gallia quoque hujus studii amor incenditur. Atque in promptu jam habebat ipsa natura incomparabilem illum TOURNEFORTIUM, qui monarchiam Botanicam in altissimum evcheret culmen. Hic scientiae Botanicae omnibus suis Antesignanis aptior, rerum adyta penetravit, omniumque erat princeps, cui exercitum Botanicum rite instruendi, & legibus systematicis convenienter disponendi, erat facultas atque potentia, quas quoque adeo est exsecutus, ut nunquam antea, in ordine tam concinno, scientia haec Botanica extiterit redacta. PLUMIER ejus premit vestigia in America, dum ipse ad Orientem fese confert, quemadmodum *Lignoni* ad *Guadelupam*, SYRIANUS ad *Canadam*, LIPPI ad *Ægyptum*, & FEVILLÆUS ad *Peru*. Tournefortii è schola prodiere illustrissimi Botanici JUSSIÆI, VAILLANTIUS, aliquique. Crederetur jam scientiam Botanicam ad summum suum evectam fuisse fastigium, ut labore quasi gravissimo, viribus nunc exhausta, suis contenta tropæis, requiescere posset; ne autem halcyonia nimis longa duceret, perque ea deliquium iterum patetur, providit præfens hoc nostrum laboriosissimum seculum.

Ineunte sic seculo præsenti, *Tournefortius*, *Plumier*, *Petiver*, *Rajus*, *Plukenet*, opera sua, quæ exorsi

exorsi sunt, continuant ad annum circiter  
seculi septimum.

1708. SCHEUCHZERUS JOH. JAC. prima sua itinera  
Alpina edidit, in quibus magnum plantarum nu-  
merum *Helveticarum*, antea minus cognitarum,  
aperuit.

1710. HEUCHERUS in Horto suo *Vittenbergenſi*, ob-  
servationes nonnullas, atque plantas etiam quas  
dam, minus cognitas tetigit.

1712. KÆMPHERUS ex itinere *Japanico* redit, & in  
Amoenitatibus suis, multas Indiae herbas enum-  
erat: hic, licet non ex professo Botanicus fuerit, ex-  
actissimus tamen fuit observator, quod penes per-  
egrinatores primas merito obtinet, nos certiores  
facit, permultas herbas Asiaticas, adhuc in hac  
mundi parte ignotas nobis esse.

1714. FEVILLÆUS, Religiosus, e *Peru* & *Chilli* nume-  
rum haud exiguum plantarum exoticarum colle-  
git, quas juxta methodum Tournefortianam, vel  
scalam Geometricam descriptas non minus, quam  
depictas, reliquit.

1716. KNAUTIUS novam *methodum*, Rivinianæ haud  
dissimilem, efformavit, et si parum incrementi  
scientiæ attulerit.

1716. BRADLÆUS historiam suam plantarum *succi-  
lentarum* exorditur, in qua Cactos & præcipue  
*Mesembryanthema*, quæ, quod ad maximam  
partem, adhuc dum obscura erant, delineat.

ACADEMIA PARISINA *Regia Scientiarum*, ea nunc erat, quæ, annis proxime supra dictis, & quidem singulis, novas & rariores plantas in scenam produxit, idque opera atque studio Membrorum suorum, *Marchant*, *Isnardi*, *Nissolii* & *Jussiae* &c.

VAILLANTII prodiit oratio, de *structura florū*, qui 1717. omnium primus sexum plantarum distincte explicat, cui statim *Blair* in suis Botanick essais, quæ etiam septem, vel octo tantum plantas rariores continent, adplaudit; Vaillantii etiam deinceps, in enumerandis florū *compositorum* speciebus, in actis Parisinis 1718. 1719. 1720. methodo utitur exactissima, seque ostendit, majori fuisse imbutum cognitione plantarum, quam unquam alii, qui de plantis quidquam, cum Orbe eruditio communicaunt. Multas enim non solum, ante illum ignotas, sed etiam jam pridem detectas, magno labore atque studio, apud Auctores evolvit, & adhuc majori industria omnium examinavit flores, idque accuratissime, easque postea ad novam methodum, certaque genera, reliquis omnibus rigorosius, redegit. Hujus *Botanicon Parisiense*, opus posthumum, obstetricante *Boerhaavio*, prodiit, in quo, insigni & speciali quadam cura, minutissima Vegetabilia examini subjicit, obscuriora enodando, synonyma extricando, & figuris magnificentissimis exornando minus cognita, & inter hæc permultos Muscos, eorumque affines produxit.

RUPPIUS & DILLENIUS, duo quasi æmuli, hic 1718. in Flora sua Giffensi, ille vero in Flora Jenensi,

rarissimas minimasque herbas, quæ antea industriam Botanicorum eluserunt, perquirere ausi sunt.

DILLENIUS famam sempiternam sibi comparavit, minutissimos detegendo *Muscos*, in suis adhuc dum latentes tenebris. Nam, quamvis Angli ocultiores, in hoc ipso argumento non parum desudarunt, gordium tamen hunc non explicarunt, cuius solutionem Flora Dillenio reservaverat.

1732. Idem *Hortum Elthamensem* edidit, opus pretiosissimum, magno suo dignum Auctore; quum in hoc opere sistit plantarum rarissimarum maximam copiam, cum accuratissimis elegantissimisque, & propria manu elaboratis figuris, descriptionibus atque synonymis, scientiæ haud parum

1741. lucis fœnerantibus. Ejusdem *Historia Muscorum* lucem adspexit, quæ circiter sexcentos muscos, cum accuratissimis descriptionibus, synonymis, figuris, eorumque historiis exponit, quibus Auctor non solum addidit novam provinciam Botanicæ, sed omnibus etiam numeris adeo perfecte absolutum reliquit opus, ut accuratius in hoc scientiarum genere, nemo unquam præstiterit.

1718. Cathedra Botanica Paduae vacante, Ripa, Pontedera, & Scheuchzer, triga Virorum haud ignobilis, sponsam hanc ambiere, eruditionis speciminiibus editis: quorum PONTEDERA statim *Compendium Tabularum Botanicarum*, varietatibus impletum, emisit, & in sequente anno *Anthologiam & Dissertationes* promulgavit; in *Anthologia*, generum quos-

quosdam characteres sistit, & sexum plantarum refutare conatur. In *Dissertationibus*, novam tradit methodum plantarum compositarum, Vaillantianæ simillimam, at faciliorem, minus autem elaboratam.

SCHEUCHZERUS JOH. *Agrographiam*, maximam graminum collectionem complectentem, edit, qua nullus Botanicus carere potest; ejus enim diligentia in colligendo, & maxima industria in describendo, omnium fere superavit sagacitatem.

MONTII Catalogus *Stirpium Agri Bononiensis*, 1719. ingentem graminum Italorum comprehendit numerum, quæ quidem juxta affinitatem cum cerealibus, sine tamen descriptionibus, consignata inveniuntur.

BOERHAAVE in *Horto suo Lugduno Batavo*, 1720. ob oculos ponit plantarum rarissimarum referissimum Hortum Leidensem, cum synonymis, & ad finem operis, insignem copiam delineat *Proteariorum* & *Leucadendrorum*, quæ Hartog, aliquie, circa Caput Bonæ spei, conquisiverant, & ante in scriptis Botanicorum fuere obscura.

TILLIUS *Hortum suum Pijanum* edit, in quo 1723. etiam variæ a Michelio collectæ plantæ, inter reliquias ibi enumeratas, recensentur.

MARTYN scripta sua Botanica edere incipit, 1726. inque his præcipue *Decades* suas plantarum riariorum, in quibus centum ferme, minus cognitas, in primis ex horto Chelseano depromptas, in-

venies herbas, quas quoque vivis coloribus delineavit.

1728. **BUXBAUM** *Centurias Plantarum* edere incipit. Cumque Petrus Alexievitz, magnus ille Ruthenorum Imperator, scientiis etiam favere visus sit, hunc Buxbaumium in Orientem mittit, plantas rariores inquisitum, ubi quidem multas minus cognitas invenit herbas, pauciores tamen collegit, quam occasio colligendi ei subministravit; mutilata ejus fuere specimina, & descriptiones incompletæ. In his tamen multas invenies plantas, antea ignotas.

1729. **MICHELIIUS**, in *Novis Plantarum Generibus* oculatissimus, ingentem vim minimarum plantarum proposuit, quæ, qua maximam partem, priorum perspicaciam effugere, easdemque delineatas, ad sua reduxit genera: non quidem negandum est, Autorem, in hoc suo opere, multas etiam proposuisse varietates, inde tamen nihil decedit de pretio hujus operis, quod enim multa depromit plane nova experimenta, microscopicis observationibus stabilita, quibus flores, in primis vero Lichenum, cum suis affinibus, a nemine ante eum observatas, detexit.

1731. **CATESBÆUS** *Historiam Naturalem Carolinam*, opus ingentis pretii, in lucem edidit, ubi præter Aves & Pisces rarissimos, plurima quoque, ex America septentrionali Vegetabilia rarissima, cum figuris sistic pulcherrimis.

EPOCHA REFORMATORUM.

Nob. D. PRÆSES apud Batavos, reformatio-  
nis Botanicæ, in Hollandia degens, prima sua je-  
cit fundamenta, quibus dein reliqua sua & super-  
struxit, & cum Orbe literato communicavit. 1735.

*Fundamenta Botanica*, quæ leges subministrant,  
quibus Botanice sit attemperanda.

*Bibliotheca Botanica*, in qua pro ratione argu-  
menti, ab unoquoque adoptati, enumerantur Au-  
tores Botanici.

*Classe Plantarum*, quæ Systematicorum diver-  
sas methodos enucleatas, atque ad genera natu-  
ralia redactas, reddunt.

*Philosophia Botanica*, ubi termini sic dicti Te-  
chnici Botanicorum definiuntur, extricantur, par-  
tes plantarum explicantur, atque leges Systematis  
demonstrantur.

*Critica Botanica*, quæ nomina plantarum exa-  
minat, dijudicat, atque corrigit.

*Systema Naturæ*, in quo omnia tria Naturæ Re-  
gna, nova proponuntur methodo, herbæque se-  
cundum Stamina & Pistilla, methodo antea non  
visa, classificantur.

*Genera Plantarum*, in quibus plantæ, quod ad  
genera sua, secundum omnes partes fructificatio-  
nis, earumque numerum, situm & proportionem,  
definiuntur.

*Hortus Cliffortianus*, qui numerosam recitationem rarissimarum plantarum, undique locorum congestarum, difficiliorisque indaginis proponit, ubi & singulæ, secundum principia antea data, ordinantur, & ad loca sua natalia rediguntur.

*Flora Lapponica*, quæ haud paucos flores & herbas Lapponicas, prioribus annis ab Auctore collectas, examinatas, & in ordinem redactas, recenset.

*Flora Svecica Catalogum herbarum, per totam Sueciam sponte nascentium, exhibet.*

*Hortus Upsaliensis* enumerat, & simul describit magnam copiam herbarum exoticarum, qua abundat hic Hortus Botanicus Academiae Upsaliensis.

*Flora Zeylanica*, in qua omnes illæ herbæ, quæ a Paulo Hermanno, per septem Annos in Zeylona morante, fuere collectæ, recensentur & describuntur.

*Species Plantarum* sub prelo jam sudant, quæ omnes eas complectuntur species, quas in omnibus, jam recensisit operibus suis, proposuit, vel Ipse dein examinavit, vel etiam unquam alii hujus Systematis Asseclæ recensuerunt, vel descripsierunt: nec non eas, quas undique terrarum per commercium literarium transmissas accepit, vel a D. Gmelino, e Siberia, vel D. Sauvagesio, e monte Presulano, vel Læflingio, ex Hispania, Kalmio e Canada, Hasselquist ex Ægypto, Osbeckio ex India Orientali, &c.

*Materia Medica*, ea tantum exhibet, quæ circa plantas officinales, earumque vires & usum explorandum, observatu digna videntur.

*Usum Oeconomicum* plantarum aperuit Auctor in Amœnitatibus suis Academicis passim, nec non in Itineribus suis Oelandico, Gotllandico, W. Gothico & Scanico.

BURMANNUS *Thessaurum* edidit *Zeylanicum*, & 1737. anno insequente, Decades plantarum *Africanarum*: in hisce recenset Auctor copiam herbarum minus cognitarum, e Zeylona & Capite Bonæ spei, quas etiam depictas sistit: debemus ei quoque *Herbarium Amboinense Rumpfii*, quod idem hic Auctor ab interitu vindicavit, in quo Rumpfius rarissimas plantas non solum descripsit atque delineavit, sed etiam præclare usum earum indicavit.

GRONOVIVS Floram exhibit *Virginicam*, in qua 1739. plurimas enumerat Virginiae plantas, quas Clayton diligenter collegerat et transmiserat, ipse vero examinavit, nec non ad genera retulit, cum differentiis determinavit, & synonymis illustravit, quibus Auctor Cl. haud parum Botanices dilatavit pomeria.

ROYENUS Floram edidit *Leidensem*, in qua di- 1740. tissimus ille hortus Leidensis specificatur, plantæ ad certa genera reducuntur, species, cum suis differentiis specificis, eadem determinantur certitudine, quæ omnia, reformatæ Botanicæ haud parum attulerunt incrementi.

1742. HALLER enumerationem edit stirpium *Helveticarum*, in qua rarissima illæ recensentur plantæ Alpinæ, quas hic idem AuctoR in lucem primus protulit, & cuique faciles cognitu reddidit; quibus Res herbaria valde est locupletata.
1743. COLDEN plantas examinavit *Noveboracenses* Americæ septentrionalis, quæ in Aëtis Upsaliensi bus sunt expositæ.
1744. GORTER Floram exhibit *Gelro Zuthphanicam*, brevem non minus, quam intellectu facilem.
1745. GMELINUS in *Flora Sibirica*, cuius duo volumina jam prodiere, post novem annos peractum iter in terra, quam præter illum, Botanicorum invisit nemo, magnam enumerat copiam herbarum novarum, quas eleganter explicavit, atque delineavit. In hoc ejus opere apparet, quantum Messersmidt, Gerber, Heinzelman, Krascheninnikow & Steller, in conquirendis herbis valuerint, quarum partem Amman exhibuit, in rarioribus stirpibus Imperii Ruthenici.
1747. WACHENDORFFII Hortus *Ultrajectinus*, herbarum ditissimus, prodit.
1747. GUETTARD in suis observations sur les plantes, plurimas herbas *Stampenses* distincte accurate que indicat, varia dilucidat, & in primis superficiem foliorum, acutissimis examinat oculis, illud que detegit, ad quod aliorum penetrare non potuere oculi.
1749. DALIBARD Flora *Parisienfis*, plantas Parisienses exactissime juxta reformationem Botanicam exponit, variasque proprias addit.

SAUVAGESIUS in *methodo* sua *foliorum* multas 1751.  
Monspelienses plantas, easque rarissimas, accurate  
ingenuoseque exprimit.

Atque sic Seculo hocce nostro, quod ad omnes ferme partes suas Botanice est reformata; Sexus enim plantarum rite sunt detecti: *Graminae*, *Musci*, *Fungi*, *Plantæ Alpinæ*, *Orientales*, *Sibiricæ*, *Zeylanicæ*, *Japonicæ*, *Chinenses*, *Capenses*, *Carolinæ*, *Virginicæ*, *Canadenses*, & *Minutissimæ Europææ*, in immensum numerum, ad maximum usque incrementum Botanices, paullatim acrevere. Ipsa quoque scientia, haud parum inde experta est emolumenti, quod plurimæ plantarum partes investigatæ sint, *Calyces*, *Stamina*, & *Pistilla* descripta, *Termini* definiti, *Genera* firmius constructa, *Species* solide designatæ, & denique plantarum *Vires*, in Medicina & Oeconomia, accuratius sint exploratae.

Et quasi in appensa tabella, quam brevissime Botanices absolvimus fata primaria, ejusque Auctores primarios, quibus facile carere nequeunt, qui in hac scientia proficere volunt. Ante vero quam manum de tabula, ut ajunt, tollam, paucis etiam indicabo, quod mihi videatur, pretiosissimum illud inventum, *ICONES* ligno incidenti atque designandi, tandem in luxum, ut plurimorum regnorum, ita & ipsius, forsitan, scientiae hujus nobilissimæ, perniciem abire. Etenim ab initio, figuræ solummodo *ligno* incidebantur, quæ herbas suas, quamvis non qua minimas suas partes, eleganter exprimebant, ut *Brunfelsii*, *Fuchsi*, *Clusii*, *Rudbeckii* &c. Tunc quoque temporis, figu-

ræ unius ad alterum, per commercium translatæ sunt, & pro lubitu uniuscujusque, in ordinem redigebantur.

*Plantinus*, Typographus Antverpiæ, plurimas tandem, ad sua usque ad tempora, figuræ ligno incisæ, possessioni suæ adjecit, quo factum est, ut opera Botanicorum, quæ tunc temporis studio & impensis ejus plurima prodiere, minus sumtuosa fuerint; *Clusius* enim historiam Dodonæi, apud Löe, Gallice exhibens, plerasque *Fuchsii* usurpat figuræ, quas deinde omnes *Plantinus* emit. Idem *Clusius* apud hunc ipsum *Plantinum Historiam* quoque suam edidit. Figuras *Lobelii* *Plantinus* quoque ligno incidendas curavit.

*Dodoneus*, impetrata venia a *Lobelio*, figuræ ejus usus est, & plurimas de suis, prelo ipsius Loë divulgavit. *Tabernæmontanus*, icones *Fuchsii*, *Clusii*, *Lobelii* & *Dodonæi* conquisivit. *Dalechampius* etiam *Matthioli*, *Lobelii*, *Dodonæi* *Clusiique* figuræ pretio sibi acquisivit (teste *Morisono* in *Prælud.* 465.) Non inficiandum est, pretiosissimas illas figuræ, quas *Recentiores* ære exsculpserent, Veterum longe esse præstantiores, propterea quod in figuris æneis plures quam in ligneis, distinctiusque exprimi queant partes minutissimæ, inde tamen librorum pretium adeo intenditur, ut haut pauci *Botanices Alumni* curtæ supellectilis, ejusmodi maximi pretii operibus carere cogantur. Ejus hoc in casu provoco experientiam, qui sibi emendos proposuit *Beslerum*, *Barrelierum*, *Historiam Morisoni*, *Phytographiam Pluketii*, *Gazophylacium Petri*.

*Petiveri, Ordines Rivini, Hortos Commelinorum, Rheedea Malabaricum, Breyni Centuriam, Dillenii Elthamensem, Rumphii Amboinam, Marsilii Danubium, & præcipue illorum opera illuminata, Catesbeii Carolinam, Martyni Centuriam, Sebae thessaurum, Ebreti tabulas, nec non Blackvel Herbarium, & Weinmanni Phytanthozaiconographia, quorum addendo pretia, summam efficiunt Bibliothecæ, haud infimæ sortis, in alia quacunque disciplina, comparandæ sufficientem.*

Et, qui Zoologiam pertractarunt, quamvis pauci, ejusdem tamen scientiæ libros, jamjam ad tantum evexerunt pretij fastigium, ut nonnisi Studiosi, facultatibus maxime valentes, eosdem sibi acquirere queant; exempli loco adferemus Rumphium, Gualterum, Argenville, Bonanum, Listerum de Testaceis, Suammerdam, Reaumur, Rosel, Albinum, Edwardum, Merianam, Wilkes, Willugby, & longa serie reliquos, de Insectis & Avibus, quorum pretia Irus non perfert. Itaque si scientia unquam propaganda sit, Systematici etiam eidem, sua adesse debeant opera, neceſſe est, ne proprio splendore tandem ruat. Determinatis jam Generibus, per certos Characteres & Differentias specificas, cum nominibus trivialibus, optandum eſſet, vellent jam primum Botanici sibi operæ pretium ducere, plures reducendi Species, cum differentiis suis sufficientibus, ad sua genera, idque eo modo, ut cognitis plurimis herbis, nomina trivialia adponerent, ceteras vero accurate explicarent.

Deinde

17,460

Deinde, ut singuli quique, suis observarent locis, *Usum* plantarum *œconomicum*, cum consideratione *durationis*, *soli*, *temporis* florendi, fructificandi & *foliationis* cuiuscunque herbæ, ad dies usque horasque computati, more Astronomorum in suis observatoriis. Attendant quoque necesse est, quæ *Animalia* hanc vel illam comedant herbam, quæque Plantæ singulorum hospitæ sunt *Insectorum*, & demum ante omnia finem Creatoris, in quæm unaquæque herba, in usum etiam suum proprium instituta sit. Hæc autem omnia, homines recta ducunt via ad perscrutandam, nec non rite admirandam Summi totius hujus Universi Artificis Sapientiam, in construenda & exornanda hac mundi machina, in usum præcipue Hominis, Nomisque sui sempiternam Gloriam.

### TANTUM.



Vindobonae Novi Testam  
Eccl. II. 66